

et in his quę aedificanda vel restauranda sunt in diversis officinis prefati loci prefatam iure perpetuo^a deputamus^b villam et sumptus eius, uti per regię auctoritatis testamento nostram donationem ex hac prescripta villa et aliis infra ipsum pagum^c constitutis, hoc est Fredishaim, Undinshaim, Mauchinhaim, Benisthaim, quam^d partibus meę possessionis cum suis appenditiis tradidit^e Crothardus vir illuster et mihi familiarissimus; sed et alias multas villas infra preceptum regium insertas^f prefato loco nostra petitione et regia dignatione factum, per quod etiam denominatum sancti Alexandri locum partibus monasterii venerabilis et piissimi protectoris nostri domni Dionisii, cuius abbatie deo annuente et regia auctoritate nobis favente curas gerere et res ordinare videmur, dudum speciali largitione, semota cuiuspiam abbatis dominatione, subiugare cum regio precepto immo apostolico privilegio procuravimus. Denique huiusce nostre donationis testamentum regalibus visibus placuit exhibere ob maioris firmitatis indicium et ut ipsius auctoritate simul et propriis manibus roboraretur et plenior per succedentia temporum curricula vigorem habere videretur. Per quod omnibus interdicientes, ne quis videlicet ex presentibus sive de^g futuris aliquid ex denominata villa usibus suis deputare aut quippiam demere aut mutare^h presumat, sed prefata villa denominato sancti Alexandri loco in diversis utensilibus suis simul et officinis tam ecclesiasticis quam monasterialibus cum omnibus quae inibi donavimus perpetua lege maneat atque deserviat. Quod si quis presumpserit, iram omnipotisⁱ dei inprimis incurrat et nodum perpetue maledictionis ab ipso deo alienatus et anathematizatus non evadat et in suam dampnationem diabolus cum suis apostaticis ministris semper inveniatur, et quod repetit non evindictet, sed contra cui litem intulerit^k, auri libras L argenti pondera CCCCC^l multatus componatur et presens donatio regalibus manibus roborata firma et inconvulsa omni tempore permaneat.

Actum publice Haristalio anno nono et quarto regnante Carolo gloriosissimo rege Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum, cum stipulatione subnixa.

† signum Teoderici comitis

† signum Uulfardi

a) 'o' nachgetragen. b) An Stelle des 'd' ursprünglich ein Unterschaft. c) 'pag' korr. d) 'a' aus 'e' korr. e) Das zweite 'i' nachgetragen. f) Ueber der Zeile nachgetragen. g) Nachgetragen. h) 'a' nachgetragen. i) So D. k) Nachgetragen. l) Aus den beiden ersten 'cc' von späterer Hand ein 'd' gemacht, so dass die Zahl zu 'DCCC' erhöht wurde.